

*mox tamen
post suum
obitum cum
utroque
prædecessore
et successore
devotione
populari
celebratus,*

2. *Nihilominus tamen ex Actis coævis, quæ inferius edituri sumus, satis manifeste patet paulo post mortem S. Masonæ celebrem fuisse Emeritæ ejus cultum. Leguntur hæc Acta in libro mox citando De vitis sanctorum Patrum Emeritensium; ubi post narratam historiam episcoporum Emeritensium qui sibi ex ordine in hac sede successerunt seculo sexto et ineunte septimo, inter quos tertius est Masona, suam narrationem concludit scriptor his verbis: Horum igitur supradictorum sanctorum corpora in una eademque cellula haud procul ab altario sanctissimæ virginis Eulaliæ honorifice tumulata quiescunt. Ad quorum denique veneranda sepulcra tantam Christus quotidie copiosæ pietatis confert gratiam ut quacumque fuerit quispiam ægritudine convexatus, quocumque etiam fuerit languore afflictus, statim ut divinum numen illic toto corde depoposcerit, omnes a se morbos discussos omnesque maculas pulsas divinitus sentiens, sanus hilarisque ad cupitam per Dei gratiam pervenit sanitatem (1). En habes concursum populi ad sepulcrum et famam miraculorum, quod utrumque validum ecclesiastici cultus indicium esse videtur, ubi de antiquis temporibus agitur.*

*simul cum
S. Damasco
celebatur olim*

3. *Quum itaque ex traditione majorum non prætermittendi sint in Actis nostris sancti qui antiquitus publico cultu in aliqua ecclesia gavisii sunt, etsi is cultus usque ad dies nostros non perseveraverit, jam apparet ratio cur nec S. Masona et uterque ejus decessor, cum utroque item successore, a nobis prætermittantur. Ceterum et his sanctis facile accidere potuit quod et aliis quibusdam qui primis mediævi seculis in Hispania floruerunt, quorum scilicet*

(1) *De Vit. PP. Emerit., n. 51.*